IN INGRESSU SOLEMNI

FRANCISCI I.

SICILIARUM REGIS

CUM

ELISABETH BORBONIA

EJUS CONJUGE

IN URBEM NEAPOLIM

II. NONAS MARTII ANNI MDCCCXXV.

CARMEN

A JOSEPHO CAPUANO

ELUCUBRATUM.

NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA PARTHENOPEA.

MDCCCXXV.

Musa diu retices? nequiquam protulit aevum
Multa canenda diu longe, lateque per Orbem,
Vix habitura fidem, sed quae non deleat aetas:
Despicienda tibi si vis, et copia rerum
Tanta fuit, nobis adsis, meliora canamus.
Aurea (ni fallor) veniunt praedicta Sybillae
Tempora Cumanae, certo quae carmine fudit:
Jupiter indubiis confirmat ab aethere signis.
Finibus a nostris abierunt tristia bella,
Insanusque furor nostris excessit ab oris;
Insomnes curae fugiunt, trepidique timores.
Pacis amica quies, regnant, et gaudia pacis:
Unanimes jungit populos concordia felix.
Denuo sancta Themis celso descendet Olympo
Tollere, si qua manent, veteris vestigia fraudis;

Virtutis splendore novo perfundere gentem.
Ne placidos angat populos penuria rerum,
Affluat omne bonum, pleno quod copia cornu
Effundit, coelo pluvias demisit aperto,
Imperioque Jovis pro=fudit Aquarius urnam.
Jam laetae surgunt segetes, et amoena vireta
Emittunt flores, atque omnis germinat arbor:
Florida terra nitet, ridere et prata videntur.
Charites indulgent choreis, Nymphaeque decentes.
Eolus avertit luctantes aequore ventos,
Ne mare, ne terrae pubentia semina laedant,
Exagitentque rates, turbent commercia rerum.
Praecipitesque ruunt longinqua in littora venti,
Et secum nubes, tempestatesque sonorae
Noctem, hyememque ferunt, et flatibus aequora miscent.
Hic placide tenues spatiantur fluctibus aurae:
Navita securus patrio de littore solvit.
Praedonum cessere metus; abiere triremes
Hostiles; fluitant pacis vexilla per auras.
Jam populi gaudent merces mutare vicissim,
Quaerere quae desunt, emittere quaeque supersunt:
Disjunctique locis animo junguntur amici,
Auxilio secum certant, opibusque juvare.
Semina pax odii tollit, litesque diremit.

Quotquot avara sinu clausit, jam pandit aperto
Terra suas gazas; superavit copia frugum;
Dolia non capiunt vinum, non horrea messes.
Jamque redundavit succus fragrantis olivi;
Mitibus, et variis pomis exuberat annus.
Frigore nec desunt hyemis, glacialis ab Arcto
Dum saevit Boreas, operit nix altaque montes.
Exulat hinc morbus: membris est vivida virtus,
Quam dulces epulae servant, coelumque salubre.
Hic genus omne viget pecudis, nec pascua desunt:
Piscis et omne genus ponto, fluviisque redundat.
Hic omnes coeunt coeli, terraeque, marisque
Deliciae, quae homines faciunt, servantque beatos.
Ætas, quam cecinit, Cumana e sede Sybillae
Oritur; hinc vastum facile se effundet in Orbem.
Jam pàter omnipotens Fatorum arcana revolvens
Non mansura diu felicia tempora novit,
Ni forti, Regique pio servanda darentur.
Quis regat indociles, elatos deprimat, iras
Compescat, scelus omne fuget, scelerumque parentem
Desidiam (quae carpit opes insania) luxum,
Multaque perficiat sensim curanda per orbem?
Ipsa Themis, celso quamvis descendat Olympo,
Non semel omnino reprimat, vel deleat omnes.

Stirps hominum pretiosa nimis, faciendaque magni est:
Sit melius revocare malos, quam perdere sontes.
Hic opus est placido justi moderamine Regis;
Huic adsint cum Pace Themis, Regique ministrent:
Sic in amicitiam coeant, et foedera jungant.
Dixerat. Et germen misto de sanguine Divum,
Fernandi soboles FRANCISCUS digna parentis,
Austriaca de gente dedit cui Regia conjux,
Supplicibus coelo votis, precibusque vocatus
Ad summum virtutis opus demissus ab alto est.
Distulit in praesens ideo praefata Sybillae
Tempora, quae tanto Regi servata fuerunt.
Nascenti Lucina favet; Charitesque decorae
Exercent choreas, circum cunabula ludunt:
Et jaciunt manibus flores, et lilia plenis.
Laetitia correpta fremunt simul utraque Regna;
Et populi nato contendunt plaudere Regi.
Casta Minerva fovet puerum vix ubere raptum,
Spem firmam populi, columen, decus atque futurum.
Pierides capiunt, primas ut reddere voces
Incipit; ingenium doctas coluere per artes.
Hinc mores hominum, leges addiscit, et usus;
Et rerum causas, vices, et tempora novit,
Æternum vitii dedecus, virtutis honorem,

Et quaecumque decet Regem, qui jura daturus.
Spem certam teneris ideo portendit ab annis
Non fore se tanti generis virtute minorem.
Et licet impubes, majorum fortia facta
Dum legit admirans, persaepe et corde volutat;
Incenditque animum gestarum gloria rerum,
Et stimulos addit famae venientis amore,
Incubuit studiis, seque ad majora paravit.
Posthabuit pompas aulae, solatia ludos;
Pieridumque choris optavit adesse frequentem.
Relligio, et pietas illi comes addita nunquam
Deseruit, crevitque simul crescentibus annis.
Elevat a terris haec, ad celestia tollit;
Numinis haec sacro pectus succendit amore.
Haec docuit solari inopes, et ferre levamen,
Et supra vires etiam succurrere egenis;
Officiis, meritisque omnes effundere habenas.
O pater, o princeps populo spes certa salutis!
O nimis eximium patriis decus addite Regnis!
Tanta latere diu virtus in finibus arctis.
Non potuit, quin mille oculis, quin mille pateret
Auribus, et vastum celebraret fama per orbem.
Tanto digna viro fuerit quae regia conjux?
Sanguinis Austriaci virgo conjugitur illi.

Nascitur insignis facie, et virtute puella,
Prole sua Gallis Regnum quae fulcit avorum.
Altera Borbonidum succedit sanguine creta,
Elisabeth sapiens, fortis, spectabilis ore,
Egregia, multaque beat quae prole parentem.
Inclyta qua patris virtus diffusa per Orbem
Germinet, et vigeat: sic aurea pullulet aetas.
Hac primum siculis virtute effultus in oris
Excolit ille rudes, ignotas advocat artes,
Emollitque feros animos, et mitigat iras;
Et patitur duros invita licentia fraenos,
Atque Ericina dolet templis ejecta vetustis.
Sic ubicumque nitent operum decora alta suorum.
Partenope rapuit populis studiosa sicanis,
Principis adventu plaudit sibi patria tellus;
Laetantis populi resonavit nomen in ore,
Et prae laetitia dominum, Regemque salutant.
Hic propius Regni vires cognoscit, et Urbis,
Et quae deficiunt, et quidquid inane redundat.
Tempore difficili clavum quoque flectere Regni,
Et vastas syrtes, scopulos vitare latentes,
Illaesam servare ratem certantibus Euris,
Dum mare naufragium, tempestatesque, minantur.
Auctor consiliis patrem, Regnumque juvare,

Fraudibus adstrictos caecis dissolvere nodos,
Praemia, virtuti, vitiis infligere, poenas
Aggreditur sapiens, Regnique assuescit habenis.
Clarius inde viri sapientia magna refulsit.
Espectata dies tandem laetissima venit.
Felicem supraque modum praenuncia lucis
Indicat, et roseis sol clarior ortus Eois.
Jam plausu puerique fremunt, hilaresque puellae,
Et senibus misti juvenes, et civibus hospes:
Laetitia ingenti tollunt ad sydera voces;
Immensusque ruit Populi concursus ovantis.
Excita Parthenope fremitu, plausuque secundo,
Eximio populi cultu, ridentis et urbis:
Laetitiae manifesta fides, nec causa latebat,
Explicuit frontem cunctorum oblita malorum.
Colligit effusos crines, atque implicat auro,
Circumdat niveo gemmata monilia collo:
Induit et vestem, quae albedine vincit olores.
Et resonare tuba jussit Tritona canorum,
Ut maris, et quaecumque tenent loca proxima Nymphae,
Conveniant celebrare diem, quae fausta solemni
Principis ingressu populis tulit aurea secla.
Insonat: et dicto citius venere marinae.
Pausilipi colles, et Olympia tota remugit:

Nympharumque chorus muscosaque deserit antra.
Neside permultae veniunt, lacubusque vicinis,
Quaeque Dicharcheos servant cum marmore fontes,
Ænariaeque lacus, Prochyten, Capreasque vetustas,
Surrenti quas ora tenet, quas littus Amalphis.
Vicinae properant omnes, pariterque remotae,
Tortilibus variis ornatae pectora conchis,
Et baccis crines intortos, atque solutos.
Magna super celeres equitat Delphines in undis
Turba procul veniens, aliae venere natantes.
At Galatea recens siculis devenerat oris,
Sicelides nymphae comites quam pone sequuntur.
Nereidum foecunda parens, nataeque decorae
Compositae veniunt baccis candentibus aures,
Et crines flavos, et lactea colla monili.
At quas Pausilipi clivus, collesque propinqui,
Antiniana tenet, Leucopetra, littus, et omnis
Regio, finitimis quae longe extenditur oris,
Concurrunt omnes vario cultuque, colore,
Floribus ornatae crines, et pectus eburnum.
Vestis ad usque genu collecta sinusque fluentes,
Spargere flore vias gaudent, Regemque canentes
Festinant hilares sociis se jungere nymphis.
Exivit fluvio senior Sebethus ab imo,

Nympharum pulchra comitum stipante caterva,
Concursum populi, plausus miratur et Urbis,
Non satis esse vias; sed pulpita, tecta domorum
Ampla nec esse satis gliscentem claudere turbam.
Sed magis obstupuit Nymphas terraeque, marisque,
Diversas habitu, forma, statione remotas
Convenisse omnes, et laetas plaudere Regi.
Erubuitque senem se tardius omnibus ire,
Tristitiaque diu fluvio jacuisse sepultum.
Utque erat incomptus, Nymphis commistus amicis
Parthenopen quaerens, illi seque obtulit ultro.
Foedus amicitiae, primis quo junxit ab annis
Terra parens, inquit, quod nos servavimus ambo,
Et servamus adhuc, comunia gaudia fecit,
Et pariter luctus: sed tam felicia nunquam
Tempora commemini; tellus jam, pontus, et aether
(Quod fieri non posse reor sine numine Divum)
Praecipue in terras nostras conjurat amice.
Ecce patet: tantum nobis concedere Regem,
Et Regi similem conjunctam foedere lecti
Quis potuit? redeunt nobis saturnia regna.
Vix ea fatus erat; tormentorum ictibus aer
Intonuit, reboant colles, montesque propinqui.
Festinant celeres Syren, Sebetus, et una

Littoreae Nymphae, fluviales, atque marinae
Per medios populos venienti occurrere Regi.
Jamque propinquabant, equites, strepitusque rotarum
Admonuit non esse procul, plaususque frequentes.
Militiae robur patriae mirantur, et arma,
Externasque acies, equitum, peditumque catervas,
Multiplicesque duces argento, auroque nitentes:
Auratos currus, aurata vehicula centum.
Auro cuncta nitent, ornatus dives equorum est:
Stragula cum phaleris, spumantia fraena coruscant.
Nobilium vestes auroque, ostroque refulgent.
Pulpita quae pandunt, variis depicta figuris,
Pendula spirantes fluitant, aulaea, per auras.
Omnia perstringunt oculos, et mentis acumen:
Admiranda nimis regalia splendida magna.
Exoriente die, Phoebus cum lumine terras
Splendidus irradiat, coeli convexa renident,
Sydera deficiunt, abscondit cornua Phebe:
Non secus evanuit mirum, quod pompa cohortis
Excitat, et Populi laetantis splendor, et Urbis.
Sol oritur: coram vilescunt omnia Rege.
Hic oculos, animosque rapit, vultuque benigno
Excipit, exhilarat Populos, placideque salutat.
O! quantum speciosa nitet, quae fronte resedit

Regia majestas, gravis, atque affabilis oris!
Assidet augusto Regina simillima Regi,
Cui non alma Venus certet, nec regia Juno:
Conjugium felix, felici prole beatum,
Ut regat, atque beet cum nostris extera Regna.
Parthenope, Sebethus adest, Nymphaeque sorores,
Quae mare, quae fluvium, quae proxima littora servant,
Omnes ornatu vario, cultuque nitentes,
Et plaudunt choreas, presso dant gutture cantus,
Flore vias sternunt hilares, et tympana pulsant.
Parthenopes nutu sunt facta silentia linguis:
Atque genuflectunt, et regis numen adorant.
Tunc Syren sic orsa loqui; Rex optime Regum,
Qui mihi, qui populis, aliis qui jura dedere
Gentibus, atque dabunt, nobis Saturnia regna
Reddis, et incipiunt per te aurea secla renasci.
Quid magis optari potuit? quid majus haberi
Principe, qui imperium Regis, qui patris amorem,
Ingenium sapientis habet, supereminet omnes
Relligione pios, populos tam rite gubernat?
Initio cujus regni bona cuncta redundant.
Ipsa Themis coelo descendit, et oscula Paci
Libavit: gaudent ambo conjungere dextras.
Non minus et studiis decorat Tritonia Pallas.

Ingenuae florent artes, Gymnasia fervent;
Egregiis ornata viris Academia claret.
Auspiciis effulta tuis o quanta nitebit!
Succrescent artes numero, virtute, decore,
Ut non invideant claris nova secula priscis.
Sub te decurrent lactis, mellisque fluenta;
Laniger, atque lupus rivo potabit eodem;
Insidiae, fraudesque aberunt, vis, ira, simultas;
Aurea pax homines infracto foedere jungit.
Si qua fuat labes, subito detersa vanescet:
Quae tecum regnant Pax, atque Astrea triumphant.
Ad te concurrent longinquo e littore gentes,
Principe sub tanto gaudebunt ducere vitam,
Atque parere tuis optabunt legibus omnes.
Metropolis metas jam dedignata priores
Planitiem invadit laetam, collesque propinquos:
Inque dies crescens omnes superaverit urbes.
Vivite felices, Rex, et pulcherrima conjux,
Et non absimilis proles utrique parenti.
Per te cùm redeant nobis, Rex, aurea secla,
Per te, per sobolem videas diffusa per Orbem.

FINIS.